

Portitor

1775

A

75

m

A

75

1. De acquisitione Domini: ex lege
2. - praescriptione pignorum.
3. - Hypotheca mobilium
4. - jure Stillitidii
5. - jure feminae
6. de fractibus pendentibus.
7. non Crasimus. de Mat. Eubrecht 1097. Gasparus de Jurep.
8. non Matricibus 1097. de Mat. 1097. 1097. 1097. 1097.
9. de jure in re. 10. de Crasimus.
10. de exheredatione et praeteritione
11. de testamento implicito
12. de auctoritate primis circa testamenta
13. de testamento nuncupato.
14. de voluntate testatoris Dubia.
15. de conditione sine nuptiis
16. de praesumptione mortis
17. de jure circa cautelam Jovis
18. Nam laevest ad Crasimus 1097. 1097. 1097.
19. ad Crasimus 1097. 1097. 1097.
20. De Chirographo

AK
Quàm celeriter

AUCTORE ET
ADIVTORE DEO,
EXIMIUM INGENIUM

Mediocris accedente disciplina in bonis literis pro-
ficere possit haud vulgari documento
craftini hora II.

in illustri ad Fontes Salutis Athenæo
demonstrabitur
annitente

Eorundem Fontium Salutarium Rectore.

Ex Officina Jeremiæ Kretschmanni
Typographi Aulici Onoldini.

2

Quintus Curtius

ALICTOR ET
ADIVTOR
EXIMIA INGENIA

Historiae antiquae disciplina in hunc usque pro-
fusa est et non solum in hunc usque
tempus

in illis ad hunc usque
tempus

Eruditione hunc usque
tempus

et hunc usque
tempus





L. S. D.

JOHANNES FRI-
DERICVS KREB-
SIVS.



Quidem perspicuum, & exploratum est, ingenium nonnunquam, etiamsi industria non alitur, valere tamen ipsum suis viribus; certè multos homines excellenti animò, ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturæ ipsius habitu prope divino, per se ipsos, & moderatos, & graves extitisse, Tullius fatetur, etiam illud adjungit, sæpius ad laudem atq; virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura profuisse doctrinam. Enimvero, ut idem contendit, & confirmat prudentissimus Orator, cum ad naturam eximiam atq; illustrem accesserit ratio quædam, conformatioque doctrinæ, tum illud, nescio quid præclarum, ac singulare consuevit existere. Ex horum numero, Cicerone Auctore, fuerunt divinus homo, Scipio Africanus, ex hoc

A 2

C. Lælius,

C. Lælius , & L. Furius moderatissimi homines & continentissimi, ex hoc fortissimus Vir, & illis temporibus doctissimus M. Cato, ille senex, qui profectò, si nihil ad perficiendam, excolendamq; virtutem literis adjuvaretur, nunquam se ad earum studium, disciplinamq; contulissent. Socrates Sophronisci filius adeò eminuit viribus ingenii, ut omnium, qui viverent homines, sapientissimum Oraculi Delphici vox pronunciaverit, sed Magistrorum Anaxagoræ, Damonis, & Archelai disciplinis usus erat. Veteres divinum virum, atq; ingenii Principem Platonem, appellasse compertum est; sed talis non evasisset nisi Timæum ac Socratem, & hunc quidem maximè sectatus esset. Aristotelis ingenium omnes in sui rapiebat admirationem, sed Platonis debuit disciplinæ, quod exceptò Platone, Princeps Philosophorum Tullio haberetur. Illa verò singularis & excellens ingenii vis adeò se maturè ac facile prodit, ut si cultu, & disciplinâ excitari, & foveri incipit, doctrinas propositas non tam accipere, quam ipsos ex se parere, atq; earum quasi reminisci videatur. Talis ingenii documenta in puerili ætate dabant Origines, & Athanasius, ut propterea de illo pater Leonides non tantum optime sperare, sed confidere potuerit; hunc verò Alexander Episcopus Alexandrinus talem futurum prædicaverit, qualem omnis posteritas experta, & admirata est. Superioribus temporibus, Themistocles etiam, ubi illis literis, & disciplinis, quibus adolescentia erudiri solet, adhiberetur, celeriter, adeò ingenii vires probavit Magistro, ut
judica-

judicaret, illum nihil mediocre futurum esse, sed omninò
vel magnum patriæ lumen, vel maximam pestem. Neq;
opus est, ut ex vetere literarum memoria tam feracia
& præcocia repetamus ingenia, cùm nostra tempora
suppeditent quam plurima. *Petrus Gassendus*, Philoso-
phus & Mathematicus præstantissimus, ubi firmatò
gressu domum egredi valuit, vel Oratores sacros inter
æquales imitabatur, vel solus nocturno tempore sidera
contemplabatur, parentibus de puero in cunis astrolo-
gicante valde conquerentibus. Disciplinæ verò ætate
paulò provectior admotus, ita celeriter profecit, ut sede-
cim annorum adolescens, Diniam vocaretur, qui Rhe-
toricam doceret publicè, atq; post triennium Præceptori
suo daretur successor, & imberbis Philosophiæ Professor
constitueretur. Impetum ingenii si spectaveris, Gassendo
nequaquam impar, fuit *Tycho de Brahe*, Eques Danus,
Nobilissimus & incomparabilis Vir. Cum enim ex Pa-
rentum voluntate, quarto & decimo ætatis anno Lipsi-
am profectus, a Magistris Jurisprudentiæ studiis admo-
veretur & iisdem diligenter erudiretur, is invitis & re-
luctantibus Præceptoribus, libris clam coemptis, Astro-
nomiam secreto, Doctoribus usus Jo. Hamelio & Bar-
tholomæo Sculteto, excoluit, quam tandem eximie illu-
stravit & fulgidissimum nominis splendorem adeptus est.
Perappositè igitur veteres palmæ compararunt ingenium.
*Si super palmæ arboris lignum magna pondera imponas,
ac tam graviter urgeas oneresq; ut magnitudo oneris susti-*

neri non queat, non deorsum palma cedit, nec intra fle-
ditur, sed adversus pondus resurgit, & sursum nititur,
recurvaturq;. Propterea, inquit Plutarchus in certami-
nibus palmam signum esse placuit victoriae, quoniam inge-
nium ejusmodi ligni est, ut urgentibus reprimentibusq; non
cedat. Agell.N.A.L.3.c.6. *Marcus Zuerius Boxhornius*,
Orator, & Polyhistor, clarissimus, tanta floruit ingenii
promptitudine, atq; discendi facilitate, ut juvenis ad-
modum, vix annum egressus decimum & nonum, in
Lugduno-Batava Academia, Eloquentiae Professore
tam praeclearum praestiterit, ut publice verba faciens, non
Marcus Zuerius Boxhornius, sed *Marcus Tullius Cicero*
a nonnullis appellaretur. *Daniel Heinsius*, extra con-
trovesiam Vir longè doctissimus, tam foecundum a na-
tura erat nactus ingenium, ut aetatem anteverterit, &
ipsa semente fructus tulerit. Etenim anno aetatis de-
cimo in obitum sibi cognatae puellae, venustae admodum
elegiae parentavit, & alia ingeniosa fudit Epigrammata.
Anno decimo & quarto Ictum Henricum Scotanum,
aliosq; audivit; anno decimo octavo ipse publice pri-
mum Latinos, deinde Graecos Authores interpretatus
est, postea vero Historias recensuit, & Politicam exposuit.
Claudius Salmasius, omnis eruditionis locupletissimus
thesaurus, puer egit, quae Viris conveniunt. Decimo
aetatis anno non male Pindarum interpretabatur, & in
utraq; lingua non inepte Poemata componebat. Vix
quin-

quindecim annorum adolescens commentarium Floro
additum publicavit. Quid de magno dicam *Hugone*
Grotio? Is anno CIO IO LXXXIII. natus, anno CIO IO
XCI. versus fundere incepit, & CIO IO XCVII. de Phi-
losophicis argumentis bis publice disputavit. CIO IO
XCVIII. Galliam vidit, cum jam ante notas in septem
artes liberales Martini Cupellæ edidisset. Mox Hagien-
sum Advocatorum ordini adscriptus, & aliis gravissimis
muneribus admotus est. *Caspar Barthius* juvenili vir-
tute sua universo erudito orbi præluxit adeò, ut alii as-
sererent, natum esse adhuc unum æternitatis ingenium,
quod si ad maturitatem perveniret, literas aliquando
vivere posse; alii metuere inciperent, ne diuturnum non
esset, quod præcox nimis videretur. Octavum enim,
& decimum annum agens, Claudianum recensere, atq;
doctissimis animadversionibus illustrare, aggressus est,
multisq; aliis memoriæ pariter, & industriæ stupendis
speciminibus Principes eruditorum, *Scaligerum, Lipsium,*
Casaubonum, Gruterum, Godofredum, aliosq; sibi arctif-
simè devinxit. Nec minus in venerabili Theologorum
ordine nonnulla eminent ingenia, quorum vires longif-
simè superant ætatem. *Balthasar Menzerus* tantâ in-
genii felicitate valuisse dicitur, ut de εὐφύιας gloria cum
Chrysippo contendere potuisset, quem memoriæ prodi-
tum est, nihil à Præceptore requisivisse aliud, quam do-
gmata, seipsum inventurum esse, rationes, quibus ea ful-
ciret. *Matthias Høe* ab Hoheneck, ortu & doctrina
nobilissi-



nobilissimus Doctor, perquam docile nactus erat ingenium, & adeo virtus in illo non expectavit annos, ut cum Plaviensem Ephoriam per sexennium jamjam obiisset, tricenario minor excellam aulae Saxonicae cathedram conscenderet. *Johannes Cluverius* celeri studiorum cursu ad tantam inusitatae eruditionis laudem pervenit, ut primo, & vigesimo aetatis anno publicis adinoveretur muneribus. *Balthasar Meisnerus* literarum rudimenta tam velociter arripuit, ut Praeceptoribus admirationi, & comilitonibus felicissimae indolis exemplum esset. Illa enim aetate, qua alii vix *arma virumque* legunt, & apta concinnitate orationem Latinam formant, is Philosophicas artes didicit, & egregiae doctrinae testimonio condecoratus docere coepit. *Christophorus Helvicus* praecellum, ac plane caeleste ingenium a natura obtinuisse dicitur, ut non solum ipse in sublimioribus, iisdemque praestantissimis studiis felicissime profecerit, sed etiam novae Didacticae amore captus, viam rationemque constituerit, cujus beneficio leviori longè temporis, aetatis, sumptuumque dispendio optatum studiorum scopum Musarum alumni attingere queant. *Albertus Grauerus* tam celeres in studiorum stadio fecisse legitur progressiones, ut non tam ambulare, quam currere, nec tam currere, quam volare visus fuerit. In *Polycarpo Lysero* tanta ingenii vis, & virtutis lumen conspiciebatur, ut invidia nihil reperire potuerit, quod carperet, quam imberbem juventutem.

Tam

Tam eximia ingenia, quæ communem felicitatem ex-
edunt, quoniam providæ & benignæ naturæ pulcher-
rima pignora, imò ipsius DEI pretiosissima munera sunt,
divinæ imprimis gloriæ augendæ, & hominum commo-
dis locupletandis nata, ubiq; in lucem publicam pro-
duci, & in illis reposita divinæ bonitatis charismata, &
dona laudibus efferri, atq; summo loco in vita, &
post vitam, haberi debent. Quamobrem cum in
GEORGIO JEREMIA HÖFFMANN
Aldorffino, tredecim annorum adolescente, præcipuam
quandam, certè minimè vulgarem ingenii vim, & velo-
citatem deprehenderem, id minimè reticendum, & dis-
simulandum, sed publicè prædicandum, & Opt. Max.
Numinis bonitatem potius hâc ratione celebrandam esse
judicavi. Etenim eâ ætate, quâ infantes nondum omni-
nò balbutire possunt, is celerrime, & promptissimè sacram
Oratiunculam *pronunciavit*, magnâ assidente, & ad-
mirante celeberrimorum virorum corona, in quibus te-
stem non mediocrem, sed haud scio, an gravissimum,
adduco, cujus faustum omen noli, Lector Benevole,
vituperare:

JEREMIAS quondam se fundere posse negabat ,
Dogmata Sacra DEI, sed tamen aptus erat ; ,
JEREMIAS noster sacra dogmata prædicat, orat : ,
E puero factus Vir, magis aptus erit. ,

B

DEUS

DEUS

Indiga sic vocis laudentibus ora resolvit.

M. Joh. Conr. Dürr P.P.

scripsit Altdorffi post primam

concionem à Georgio Jeremia

Hoffmanno puerulo trium annorum

habitam m. Decem. Ao: 1673.

Quod augurium minimè fefellit eruditissimum Dür-
rium ; siquidem Hoffmannus noster adeò cumulatè om-
nium expectationi satisfecit, ut jam nunc Latinè, Cræcè,
atq; Hebraicè haud vulgariter peritus sit, quod vel inde
licet intelligere, quoniam Cornelii Nepotis, Q. Curtii,
Julii Cæsaris, Livii, Cornelii Taciti, Ciceronis, Terentii,
Plauti, Ovidii, Horatii, Virgilii ; è recentioribus P. Ma-
nutii, Mureti, & Buchneri posteritati relicta variæ do-
ctrinæ monumenta, pleraq; haud perfunctoriè sibi co-
gnita reddidit. Novum Testamentum, Ælianum, Epicte-
tum, & quem optimum auctorem vocat Cicero L. 3.
offic. Homerum, absq; difficili negotio interpretatur,
atq; Veteris Testamenti dogmata Hebraicò idiomate
proposita facilè intelligit, certe Pentateuchum, Josuam,
& alios libros Biblicos, eò ipsò caractere, quò Divinò
Flamine inspirante, à sanctissimis amanuensibus con-
signati sunt, diligenter perlegit. Latissimum quoq; histo-
riarum campum ingressus Joh. Schleidanum, aliosq; du-
ces secutus est, & jamjam non contemnenda spatia ab-
solvit. Subinde ad Philosophiam quoq; applicans ani-
mum, ne temporis intervalla unquam inertio otio, sed
alio

alio saltem studiorum genere inter stringeret. Horum
profectuum specimen dabit die crastina, qua Latinam
Orationem de Græcarum, Latinarumq; literarum fati-
suò Marte, nullius adminiculo, conscriptam, publicè è
prompta memoria recitabit, vires ingenii periclitaturus,
& unà celeberrimo & felicissimo Parenti suo *Mauritio
Hoffmanno*, Hippocrati Altdorffino, studiorum ratio-
nem redditurus. Faveat Deus his progressibus, & con-
servet tam præclarum ingenium, ut Parentum optimo-
rum spes amplissimas implere, rem literariam conde-
corare, atq; DEI gloriam latissimè augere, & hominum
commoda possit affluenter locupletare. Sed Tu, Be-
nigne Lector, veni, & vide, annon ætatem vincat eru-
ditio, & judica, quid ex pectari debeat, si adjutore
DEO, confirmatis viribus, constans & matura indu-
stria accesserit. Vale P. P. Heilsbronnæ D. M.
Anno Æræ Christianæ M DC LXXXIII.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a Latin or German manuscript. Some faint words like "M." and "MDC" are visible.



01 A 6575


ULB Halle
003 090 329 3



R

Vb. 17





AK

Quàm celeriter

AUCTORE ET ADJVTORE DEO, EXIMIUM INGENIUM

Mediocri accedente disciplina in bonis literis pro-
ficere possit haud vulgari documento
craftini hora II.

in illustri ad Fontes Salutis Athenæo
demonstrabitur
annitente

Eorundem Fontium Salutarium Rectore.

Ex Officina Jeremiæ Kretschmanni
Typographi Aulici Onoldini.

